

55 *Exemplum litterarum dominorum Helvetiorum ad reverendissimum cardinalem Sedunensem, tituli sanctae Potentianae.*

Reverendissime pater ac colendissime princeps. Pervenit post accessum peditum, ad notitiam dominorum helvetiorum, quod aliqui capitanei ducerent suos precise in Lombardiam contra gallum ad eum expellendum. Constituerunt propterea dietam ad Zug ad diem Martis proximam praeteritam, in qua primo comparuit dominus Guilielmus cum brevi apostolico, quod praesentavit et translatus in alemano, cui aperte responderunt quod non velint pati quod pedites sui, qui castra Domini Nostri sequuntur, in aliquo offendant gallum in dominio Mediolani, in quo et inclusas velint habere civitates Parmam et Placentiam; in quibus si Sanctitas Sua praetendat habere jus, prosequatur iustitia et non armis. Declaraverunt et easdem civitates esse inclusas in tractatu pacis inter ipsum gallum et dominos helvetios ut ipsi easdem sibi sint obligati defendere et manutenere. Scribunt propterea Sanctissimo Domino nostro, quod omnino non veluat quod suos ducat contra statum Mediolani. Scripserunt et capitaneis suis in eundem effectum in quibus omnes sunt concordēs, et omnia illa quae jam tractarunt contra gallum impinguntur Dominationi vestrae reverendissimae in tantum, ut multi oratores in eadem dieta instarunt apud helvetios, ut omnes simul declararent Dominationem vestram reverendissimam publicum inimicum helveticorum, et pro tali publicaretur. Fuerunt aliqui qui responderunt hoc non habere in commissis a dominis suis; sed receperunt propositionem hanc in restum ad referendum dominis suis. Orator autem Thuricensis Zollihab noluit recipere in restum, nec se super eo aliquid in commissum habere quod respondeat. Sic res pro nunc emansit in calamo; tamen quocumque sit, habet Dominatione vestra reverendissima bene cogitare de rebus suis, quia agit rem periculosissimam et infinitis periculis plenam. Credo enim, quod jam maior practica sit apud certos ut exercitus extinguatur. Comparuit et in eadem dieta de La Meth qui conquestus est de peritibus helvetiorum, quod non servierint Regi suo in necessitate, nec voluerunt facere debitum. Responsum fuit, quod propter paucitatem eorum hoc factum sit; sed ubi adhuc velit habere plures, videlicet quinque milia, velint mittere ubi opus sit. Noluit acceptare sine scitu Regis sui, cui hoc significare promisit ut in decem octo diebus responsum habeat. Dixit praeterea helvetiis,

quomodo Caesar cum exercitu suo recessit ab obsidione Maliers, quod et multi alii affirmant. Pridie, dum essent Constantiae, venerunt certi pedites ab eodem exercitu qui similia dixerunt. Revenit et istis diebus Henricus Miserbach ab inferioribus partibus, qui dixit quod gallus occupat mare illud, ut nulla allecta possint capi. Dixit et quod magna sit differentia in exercitu Caesaris, ut omni hora se pereutiant. Dixit etiam quod rex Daciae sit coactus redire in regnum suum, propter suedos qui sibi de novo magnum intulerunt damnum. Dixit etiam, quod in tribus septimanis in obsidione Maliers nullum sit emissum tormentum contra civitatem. Haec nova currunt per helvetios. Modo tamen, dictus secretarius habens certas litteras a regentibus de Ensen, quomodo Caesar scribit, quod futurum sit quod conflictus fiat inter ipsum et gallum, in quo ipse in persona velit adesse, et commisit eis ut de novo eligant pedites duo mille qui omni hora sint parati. Ita undique emergunt nova contraria sibi ipsis; solum quod Dominatione vestra sit salva, post modum fiat bona voluntas Domini. Quo ad res dominationis vestrae reverendissimae, non invenio bene modum quo ducantur per superiores partes; sed conduxit certum currum, qui die lunae futura eisdem mihi ducet usque ad Sten, et inde ego providebo ut sint conductae usque Constantiam ad alias res. Fui tamen praecibus domini Guilmi coactus sibi dimittere certas petras minoris precii pro honore suo, et licet haec res non sine aliquo clamore vel suspicione duci possint, volui tamen potius salvare res quam timere clamorem. Fui hodie advisatus, quod Henricus Miserbach vellet restare (*sic*) omnia bona et domum Dominationis vestrae reverendissimae propter certum debitum in quo sibi eandem dicit obligari; spero tamen quod non festinet. Ubi autem Dominationi vestrae reverendissimae magis placeret quod omnia quae ab hinc ducuntur vel Constantiae manent, ducerentur apud Felthleeh. Poterit significare spero, quod Joannes Petrus cum cruce legationis jam comparuerit.

Thuregii, XIII Octubris.

*Subscriptio:*

HENRICUS.

*A tergo:* Reverendissimo in Christo patri domino Matheo tituli Sanctae Potentianae praesbytero cardinali Sedunensi.

*Magnifice ac clarissime, Signor mio.*

In questi giorni passati, habiamo avuto comissione dal clarissimo Gritti di levarne da il campo